



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Torpes Mart. 17. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

patriam obsidentes omnes egit in fugam, cum unicum ipse signum crucis explicasset. Pacis ingeniosissimus artifex, contra injurias cautes inexpugnabilis fuit. Sed utriusque documentum cape, Scissa in factiones geminas urbs, pugnabat in viscera sua. Adest VBALDVS medius inter saxorum & rethorum icus, cadit deinde. Hic vero omnes arma abjicere, damnare discordiam, quae parricidas cives fecisset. Tum denique; a pie simulata morte surgere VBALDVS, & partem unius eaque ludicram morte pacem civibus gratulari. Ultima sortis homo, & unico suo cemento memorandus, Pontificem in calcis scrobem dejecerat, non tam corno quam ignominiam aspersum. Illicet amici civesque scelus urbe exigere, & ipsas improbi domini aedes velle demoliri. At agebat VBALDVS, graviori supplicio vindictae litandum. Sese vindicem sui exemplum editurum, quod urbs, quod orbis miraretur. Interca pro tribunali sedet: adest reus, vel se iudice nulla non morte dignus. Ergo sententiam profert VBALDVS, & inaudito supplicio reum damnat AD OSCYLVM. Non multo sanguine, ais, se vindicavit, sed certe, ut non nemo inquit, rubore multo. Ex *Brev. Rom. Pet. de Nat. & Surio.*

Obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, pietatis virtute portemus: ut & fratres nostros liberemur a poena, & patientia premium consequamur: nec dedignetur servus hoc accipere a conservis, quod Dominus a servis & pro servis dignanter accepit. S. Pet. Chrysol. serm. 28.

S. TORPES MART. 17. Maij.

Raram avem vides, & albo simillimam corvo
aulicum, inquam, pium ex aula Neronis impij.
TOR-

TORPES est D. Paulo familiaris, & in fide, quem admodum fertur, Angeli discipulus. Hic tyranni æmulam cælo machinam, & quâ ille mortalibus velut alter in terris Iupiter illudebat, solis precibus destruxit, flumineque cælos vanissimos & orco misit. Ilicet Nero Iupiter hoc damno multatus graviter detonuit, omnibusque pœnis in TORPES-TEM fulminavit, sed ex pelvi. Nam alapam primò Sabellici iudicis generosè devoravit. Columnæ deinde alligatus, tortusque crudeliter, Samson ipsissimus fuit. Quid! quòd corruens columna exitium attulit Sabellico, salvo & incolumi nostro Samsonè? Ergo Silvius Sabellici filius, heresque idem crudelitatis, rotæ radijs lacerandum illigavit, bestijs objecit, semper illæsum; quæ res Evellio consiliario Imperatoris persuasit, ut sibi consuleret, fidemque Christi amplecteretur tot miraculis probatam. Ambo itaque cæsi securi sunt. Porrò TORPETIS corpus fatigenti naviculæ impositum, additusque gallus & canis, ut illud vel his, vel cum his piscibus foret esca. Sed Angelo remige in Hispaniam appulsum excepit Celerina honestissima matrona, non aliter quàm opes ex divite Indiâ appulsa, tumuloque augustissimo donavit. Addidit deinde pietas Christiana templum. Nam cælum nuper jam Superi dederant, ex quo ille hodie etiam ridet mimicum Neronis cælum. *Ex Bar. Pet. de Nat. & tom. 6. ant. lect. Can.*

Quatuor sunt, quorum in hâc vitâ obsequiis deservimus: Caro, Mundus, Diabolus, Deus. Caro largitur servitoribus suis momentaneam voluptatem; Mundus transitoriam sublimitatem; Diabolus perpetuam captivitatem; Deus interminabilem felicitatem. S. Bern. serm. 3. Epiph.